

3086 lotto  
15

AMICA REPREHENSIO  
IN  
BARTHOLOMÆUM DA COSTA  
DE  
STATUA  
JOSEPHI REGIS  
AB EO FUSA.

ELEGIA.



ÆREMUS fixis obtutibus undique circum  
Clarum opus ingenii, Bartholomæ, tui.  
Ab JOSEPHO illud, simul & reveremur ab arte;  
Et titulum à causa duplice plausus habet.  
Digna operis tamen à lingua præconia desunt,  
Et vix officio fungitur illa suo.  
Nam nec voce potest, nec scit proferre, quod intùs  
Sentit miraclo mens stupefacta novo.  
Phidiacas jam fama manus, cœlumque Myronis,  
Lysippique artem, Praxitelisque tacet.  
Nec quidquam esse putat Phariæ miracula Memphis,  
Clarius aut siquod jaētitat orbis opus.  
Hanc unam Statuam centenâ voce celebrat,  
Teque unum pariter, Bartholomæe, canit.

\*

Quam-

Z. 3206 2

Conf

F. 13. 7

Quamquam at Phidiacos, Rhodiosque, aliosque labores  
Fama operi judex postferat æqua tuo;  
Et quamquam titulis hoc sit laudabile tantis,  
Unde tamen tu sis corripiendus, habet.  
Ergo opere in tanto fas sit deprendere menda,  
Teque agere erroris, Bartholomæe, reum.  
Tu mihi da veniam, mea quam benè cura meretur,  
Et tua judicio corrige menda meo.  
Imprimis nemo, nec tu, te errâsse negabit,  
Dum fuso effigiem REGIS ab ære trahis.  
Hoc ad opus quæri pretiosum debuit aurum,  
Aut auro siquid purius esse potest.  
Saltem hòc, quòd nobis ille aurea sæcla reduxit,  
Effigiem ex auro dignus habere fuit.  
Bellatoris equi dorsa illum celsa prementem  
Fecisti, & frænos dantem, animosque simul.  
Verùm & in hoc etiam debes te errâsse fateri;  
Nilque, quod errorem diluat, esse potest.  
Namque ut naturam rerum simularer imago,  
Et REGI ut fieret convenienter opus,  
Debebas effingere eum supra astra volantem  
Corpo, qui excelsâ mente supra illa volat.  
Prætereâ si equitem malles effingere REGEM,  
Non equus, at dignus vectòr habendus erat.  
JOSEPHUM sonipes, vel fictum ex ære, profanat,  
Vel quoque vectoris munia pressus agens.  
Proptereâ est ubi equus, fuit effingenda Minerva,  
Huic licet æqua oneri nec satis ipsa foret.  
Adde, quòd hæc icon, quæ corpus reddere REGIS  
Debuit, illius non nisi pauca refert.  
Dat spectatori, fateor, bona multa videnda,  
Sed, quæ JOSEPHI sunt meliora, tacet.

Of-

Ostendit capitisque decus , faciemque , manusque ,  
Non autem quod REX , qualeque pectus habet.  
Quid mage JOSEPHI corde est laudabile ? verùm  
Illud non icon exprimit , imò tegit.  
Verbo uno : æs istud , quod REGIS imago vocatur ,  
REGIS pauca , & vix exteriora refert.  
Sic oculos , sic ille manus , sic ora ferebat ;  
Quomodo verò animos ille ferebat , ubi est ?  
Sanctæ ubi sunt ejus curæ , commercia cœli ,  
Religio , pietas , & sine labe fides ?  
Candida ubi illius prudentia , mentis acumen ,  
Mirus & in populos , quos moderatur , amor ?  
Sunt ubi virtutes reliquæ , quas dicere cunctas ,  
Quantumvis vellet , pagina nostra nequit ?  
At quas deberes tu fuso effingere in ære ,  
Aut operi tanto non adhibere manum .  
Ergo novam Statuam REGI fac , quæ exprimat omnes  
Illius partes , queis modò facta caret .  
Efformaque simul classes , munimina , & arces ,  
Pugnacis turmas militis , arma , duces ;  
Et , quem JOSEPHUS dedit his , effinge nitorem ,  
Cumque nitore novum , quod quoque robur habent .  
Astræam reducem ad terras effinge relictas ,  
Utque thronum in nostris fixerit illa plagis .  
Exprime correctas ad publica commoda leges ,  
Commodaque efforma legibus orta novis .  
Totque operum fabricas , tot rerum augmenta , tot artes ,  
Totque , quibus floret Lysia adaucta bonis .  
Exprime , ut ille inter tot summa negotia , curat  
Commoda vel populi quantulacumque sui .  
Et quidquid prodesse potest terræve , marisve ,  
Providus invigilat ne sua lucra neget .

Exprimeque, ut quod erat quondam farrago domorum,  
    Jam sit Ulyssipo nomine digna suo.  
Exprime, ut ingenuæ corruptæ erroribus artes  
    Ante quasi extinctæ, semianimesque forent;  
Utque, novus veluti genitor, JOSEPHUS eisdem  
    Vitam, & perpetuò vivere posse dedit.  
Exprime, ut ille unum è tot delegisse SEBASTUM  
    Scivit, ut ad tantas res sibi ferret opem.  
Multaque præterea, nota & tonsoribus, ære,  
    Si potes, efforma, Bartholomæe, novo.  
Sic fabrefacta tamen REGEM non reddet imago,  
    Non etenim illius cuncta scienda dabit.  
Sed minùs à vero, si sit sic facta, recedet,  
    Causaque spectanti, quò minùs erret, erit.  
De hac autem, externos quæ tantùm corporis artus  
    JOSEPHI ostendit, cætera cuncta tacens,  
Hæc spectatorem quatuor per carmina cautum  
    Fac, scribendo basi grandibus illa notis:  
Totum hæc, spectator, JOSEPHUM haud exprimit icon,  
    Non etenim illius gesta, animumve refert.  
Illijs hinc corpus cognosces, cætera verò,  
    Quocumque aspicias, vel gradiare, scies.

DE

DE STATUA AUGUSTA  
**J O S E P H O R E G I**  
IN FORO POSITA,  
ADJUNCTAMQUE HABENTE STATUAM MARCHIONIS  
**S E B A S T I A N I J O S E P H I**  
**D E C A R V A L H O E M E L L O.**

**E P I G R A M M A.**


**Q**UIS sit JOSEPHUS, non hoc, spectator, ab ære  
Corporis, & cultûs indice scire velis.  
Arma, scholas, artes, redivivi & cætera regni  
Incrementa vide; quis-que sit ille, scies.  
Illi hæc sunt, & erunt statuæ magis ære perennes,  
Certiùs unde illum nosse ubicumque potes.  
Hæc eadem ostendunt, quis sit, quantusque SEBASTUS,  
Cujus idem æs faciem, paucaque membra refert.

**D E**

DE STATUA  
MARCHIONIS SEBASTIANI,  
PROUT FUSA FUIT SIMUL CUM STATUA  
JOSEPHI REGIS.

EPIGRAMMA.

JOSEPHO atque tibi Statuas fusura gemellas  
Unica, cuique suam, Clare SEBASTE, dedit.  
Te sine JOSEPHUS vel fingi ex ære recusat;  
Imò, ex ære uno sitis ut ambo, jubet.  
Oh quantum te amat, & quanto dignatur honore  
REX, sibi qui fratrem te facit æris ope!



DE STATUA  
MARCHIONIS SEBASTIANI,  
PROUT EST JUXTA STATUAM  
REGIS JOSEPHI.

EPIGRAMMA.

EXprimit æs, præsto ut coram stat REGE SEBASTUS,  
Atque loca ut REGI proxima solus habet.  
Non aliter clarum Heroa expressisset imago,  
Quam promptum ad REGIS jussa gerenda sui.  
Nec, nisi tam similem REGI expressisset honore,  
Eximii verax esset imago viri.

DE

DE STATUA  
MARCHIONIS SEBASTIANI,  
PROUT EST SUPPOSITA STATUÆ  
REGIS JOSEPHI.

EPIGRAMMA.

Dum REGI, atque tibi Statuas posuere, SEBASTE,  
Lusiadæ, REGIS supposuere tuam.  
Non illos latuit, quod coram lumine solis  
Sidera, quantumvis maxima, nulla nitent.  
Hanc posuere tamen REGIS coram icone, namque  
Illâ alibi dignum non habuere locum.

*Canebat*

*Joannes da Silva Rebello,*

R. E. B. M. de N.

DIESTA  
MARCHIONIS SERVASTIANI  
PRAESES UNIVERSITATIS STAVRA  
REGIS JOSEPHI

PROGRAMMA

**J**osephus anno 1700 die 20. Iunii. fidei baptizatus  
A. M. M. J. E. I. B. E.  
T. JOSEPHUS vel huius ex arcis recensu  
Anno ex anno fidei ut anno dicitur.  
**O**mnibus annis degredi auctoritate  
Dum REGI, sicut illi Simeonis polyceti, Simeonis  
Iulianae, REGIS baptizatus sum  
Non iuraverunt, dum cum iurando loqui  
Sibicas, dominum misericordiam nulli defuerit  
Hoc baptizatus sum vel REGI, cuius regis baptizatus  
In aliis dignorum nos baptizatus locutus.

REGIS JOSEPHI.

PROGRAMMA

**E**iusmodi, anno 1700 die 20. Iunii. fidei baptizatus  
A. M. M. J. E. I. B. E.  
T. JOSEPHUS vel huius ex arcis recensu  
Omnibus annis degredi auctoritate  
Hoc baptizatus sum vel REGI, cuius regis baptizatus  
Estimatur enim finibus REGI baptizatus honestus.

DE